



ERASMI ROTERODAMI  
PARACLESIS AD LECTOREM PIVM.

Paraclesis .i. exhortatio, consolatio,

**L**actantius ille Firmianus, optime lector, cuius linguam unice miratur Hieronymus, Christianæ religioni patrocinator, aduersus ethnicos, cum primis optat sibi dari eloquentiam, Tullianæ proximam, improbum ratus opinor optasse parē. At ego sane si quid huiusmodi uotis proficitur, tantisper dum mortales omnes, ad sanctissimum ac saluberrimum Christianæ philosophiæ studiū adhortor, ac ueluti classicum canens euoco, uehementer optarim eloquentiam mihi dari, longe aliam quæ fuerit Ciceroni. Si minus picturata quæ fuit illius, certe multo magis efficacem. Immo si cui unquæ talis contigit dicendi uis, qualem non omnino sine causa, ueterum poetarum fabulæ, subnotarunt in Mercurio, qui ceu magica uirga, diuinaque cithara, somnum immittit cum libet, & idem adimit, quos uult ad inferos impellens ac rursus ab inferis euocans, aut qualem signarunt in Amphione Orpheoque, quorum alter rigida mouisse saxa, alter quercus & ornos traxisse cithara fingitur. Aut qualem Ogmio suo tribuebant Galli, mortales omnes catenulis a lingua in aures infixis quo uellet circumducenti, Aut qualem Marfyæ fabulosa tribuit antiquitas, Aut certe, ne nimium diu fabulis immoremur, qualem Socrati tribuit Alcibiades, Peridi uetus comœdia, quæ non aures tantum mox peritura uoluptate delinuat, sed quæ tenaces aculeos relinquat in animis auditorum, quæ rapiat, quæ transformet, quæ multo alium dimittat auditorem quæ acceperit Timotheus musicus ille nobilis Dorios occinens modos, Alexandrum magnū ad belli studiū inflammare solitus legitur. Neque defuerunt olim, qui precaminibus, quas greci uocant εὐδοκίαι, nihil ducerent efficacius. Quod si quod usque esset huiusmodi genus incantamenti, si qua uis harmoniæ, quæ uerum habeat εὐθουσιασµόν, si qua Pitho uere flexanima, eam mihi cupiam in presentia suppeterere, quo re omnium saluberrimam omnibus persuadeam. Quæ quæ illud potius optandum ut Christus ipse cuius negotium agitur, ita citharæ nostræ chordas temperet, ut hæc cantilena penitus afficiat ac moueat animos omnium. Ad quod quidem efficiendum, nihil opus rhetorum epicherematis, aut epiphonematis. Hoc quod optamus, non alia res certius præstet, quæ ipsa ueritas, cuius quo simplicior, hoc efficacior est oratio. Ac primum quidem non libet in presentia refricare, querelam illam, non omnino nouam, sed heu nimium iustam, & haud scio an unquæ iustio rem quæ hisce

Erasmus mortales omnes ad Christianam philosophiam studium exhortatur et eloquentiam sibi optat,

Christum pro eloquentia implorat,

Quæ Sacra Scriptura a pluribus et eorum ridetur: negligitur: a paucis tractatur: et frigide,



PARACLESIS.

hiscē temporibus, cum tam ardentibus animis in sua quisq; studia, mortales incumbant, hanc unam Christi philosophiam, a nonnullis etiam Christianis rideri, a plerisque negligi, a paucis tractari, sed frigide. Non enim dicam insynce-  
**A**t in ceteris disciplinis omnibus, quas humana prodidit industria, nihil est tam abditum ac reclusum, quod non peruestigarit ingenij sagacitas, nihil tam difficile, quod non expugnarit labor improbus. Qui fit aut, ut hanc unam philosophiam, non his quibus par est animis amplectamur, quotquot ipso etiam cognomine Christi factionem profiteamur? Platonici, Pythagorici, Academici, Stoici, Cynici, Peripatetici, Epicurei, suæ quisq; sectæ dogmata, tum penitus habent cognita, tum memoriter tenent pro his digladiantur illi, uel emoriturus citius, quam autoris sui patrocinium deserant? **A**t cur non multo magis tales animos præstamus autori nostro principi q; Christo. Quis non uehementer fœdum censeat Aristotelicam profitemi philosophiam, nescire quid uir ille senserit, de causis fulminum, de prima materia, de infinito, quæ nec cognita felicem, nec ignorata reddunt infelicem. Et nos tot modis initiati, tot sacramentis adacti Christo, non fœdum ac turpe putamus illius nescire dogmata, quæ certissimam omnibus præstent felicitatem? Nam quorsum attinet hic contentione re exaggerare, cum hoc ipsum impiæ cuiusdam dementia sit, Christum cum Zenone aut Aristotele; & huius doctrinam, cum illorum, ut modestissime dicam, præceptiunculis conferre uelle? Affingant illi suæ sectæ principibus, quantum possunt, aut quantum libet, Carte solus hic e cælo profectus est doctor, solus certa docere potuit, cum sit æterna sapientia, solus salutaria docuit unicus humanæ salutis autor, solus absolute præstitit, quicquid unquam docuit, solus exhibere potest, quicquid promisit. Si quid a Chaldeis aut ægyptijs adfertur, id ob hoc ipsum acius auemus cognoscere, quod e peregrino sit orbe deportatum, & præcipij parsest e lōginquo uenisse, & sæpenumero in somnijs hominūculi, ne dicam impostoris, tam anxie distorquemur, non solum nullo fructu, sed magno temporis dispendio, ut ne quid addam grauius. tametsi iam hoc ipsum ut nihil accedat, grauissimum est. **A**t qui fit, ut huiusmodi cupiditas non ite christianos titillet humanos animos, quibus persuasum est, id quod res est, hanc doctrinam non ex Aegypto Syriaue, sed ex ipso uenisse celo? Cur non ita nobiscum cogitamus omnes, nouum & admirabile philosophiæ genus sit oportet, quod ut traderet mortalibus, is qui deus erat, factus est homo, qui immortalis, factus est mortalis, qui in corde patris erat, sese demisit in terras. Magnum quiddam & haudquaquam triuiale sit oportet, quicquid illud est, quod ille tam admirandus autor, post tot excellentium philosophorum familias, post tot insignes prophetas, docturus aduenerit. **C**ur non hic pia curiositate singula cognoscimus, disquirimus, excutimus? Præsertim cum hoc sapientiæ genus, tam eximium, ut semel stultam reddiderit uniuersam huius mundi sapientiam, ex paucis hisce libris, uelut e limpidiſſimis fontibus haurire liceat; longe minore negotio, quam ex

Quam fidei ueritas philosophorum  
 sectatores conuenerunt  
 etiam dogmata  
 etiam plurimum  
 reuocata

A sit hoerentia.

Christus e celo profectus  
 est doctor noster,

Quam admirabile philosophiæ  
 genus sit christi doctrina  
 na e celo profecta

Quam hæc christi philosophia ex  
 paucis his noui testamenti  
 libris assequi liceat paruo  
 negotio



tot uoluminibus spinosis, ex tam immensis, ijsq; inter se pugnantibus interpre-  
tum commentarijs Aristotelicam doctrinam, ut ne addam, quanto maiore cū  
fructu. Nihil enim hic necesse est, ut tot anxijis disciplinis instructus accedas,  
Simplex & cuius paratū est uaticum, Tantum fac adferas pium ac promptum  
animum, & in primis simplici puraq; præditum fide. Tātum esto docilis, & mul-  
tum in hac philosophia promouisti. Ipsa suppeditat doctorem spiritū, qui nul-  
li sese lubētius impartit, q̄ simplicibus animis. Illorū disciplinæ, præterq; quod  
falsam promittunt felicitatem, multorum ingenia submouēt, ipsa uidelicet præ-  
ceptorum difficultate. Hæc omnibus ex æquo sese accōmodat, submittit se par-  
uulis, ad illorum modulū sese attemperat, lacte illos alens, ferens, confouens, su-  
stinens, omnia faciens, donec grandescamus in Christo. At rursus ita non de-  
est infimis; ut summis, etiam sit admirabilis. Imo quo lōgius in huius opes pro-  
gressus fueris, hoc longius illius maiestate submoueris. Paruis pusilla est, mag-  
nis plus q̄ maxima. Nullam hæc ætatem, nullum sexum, nullam fortunam, nul-  
lam reijcit conditionem. Sol hic non perinde communis & expositus est omni-  
bus, atq; Christi doctrina. Nō arceat omnino quenq; nisi quis arceat, ipse sibi in-  
uidens. Vehementer enim ab istis dissentio, qui nolint ab idiotis, legi diuinas li-  
teras, in uulgi linguam transfusas, siue quasi Christus tam inuoluta docuerit, ut  
uix a pauculis theologis possint intelligi, siue quasi religionis Christianæ præsi-  
dium in hoc situm sit, si nesciatur. Regum mysteria cœlare fortasse fatius est, at  
Christi mysterium q̄ maxime cupit euulgari. Optarim ut omnes mulierculæ  
legant euangelium, legant Paulinas epistolas. Atq; utinā hæc in omnes omniū  
linguas essent transfusa, ut non solū a Scothis & Hybernis, sed a Turcis quoq;  
& Saracenis legi cognoscq; possint. Primus certe gradus est, utcūq; cognoscere.  
Esto riderent multi, at caperentur aliquot. Vtinam hinc ad stiuam aliquid de-  
cantet agricola, hinc nonnihil ad radios suos moduletur textor, huiusmodi fa-  
bulis itineris tædiū leuet uiator. Ex his sint oīa Christianorū omniū colloquia.  
Tales enim ferme sumus, quales sunt cotidianæ nostræ confabulationes. Asse-  
quatur quisq; quod potest, exprimat quisq; quod potest. Qui posterior est, nō  
inuideat præcedenti, qui prior est, inuitet sequentem, nō desperet. Cur professio-  
nem omnium cōmunem ad paucos contrahimus? Neq; enim consentaneum  
est, cum baptismus ex æquo cōmunis sit Christianorum omnium, in quo prima  
Christianæ philosophiæ professio est, cum sacramenta cætera, deniq; cum præ-  
mium illud immortalitatis ad omnes ex æquo pertineat, sola dogmata, in pauco-  
los istos esse relegandos, quos hodie uulgius theologos aut monachos uocat,  
quos ipsos tamen, tametsi minima quæpiam portio sunt ad populum Christia-  
ni nominis, tamen hos inq; ipsos optarim maiorem in modum esse quod audi-  
unt. Vereor enim ne inter theologos reperire liceat, qui multum absint a suo ti-  
tulo, hoc est qui terrena loquātur nō diuina, & inter monachos, qui Christi pau-  
pertatem

Pius ac promptus animus  
simplici puraq; p̄ditus  
fidei hæc christi phiā  
prestat.

Quæ hæc phiā oīb; sese  
accomodat.

Contra eos q̄ nolūt ut  
euāgelia et sacra sc̄p̄  
tuta i vulgari p̄  
vulgares loq̄r.

Quæ professio christiana  
om̄i cōm̄ ab oīb; le-  
gatur, seruiat,  
ac cognoscatur.  
nec ad so-  
los Theo-  
logos con-  
trahatur.

Contra vanos et iānes  
Theologos ac mona-  
chos.



PARACLESIS.

perteratam & mundi contemptum profitentur, plusq̄ mundum reperias. **I**s mihi uere Theologus est, qui non syllogifimis, arte contortis, sed affectu, sed ipso uultu atq; oculis, sed ipsa uita doceat aspernādas opes, christiano non esse fidentum huius mundi præsidijs, sed totum oportere pendere de cælo, non esse retaliandam iniuriam, bene precandum male precantibus, bene merendum de male merentibus, bonos omnes uelut eiusdem corporis membra diligendos ac fouendos ex æquo, malos tolerādos, si corrigi nequeant, Qui suis exuuntur bonis, qui depelluntur possessionibus, qui lugent hos beatos esse, nō deplorandos, mortem optandam etiam prijs, ut quæ nihil sit aliud q̄ traiectus ad immortalitatē, hæc inq̄ & huiusmodi, si quis afflatus spiritu Christi prædicet, inculcet, ad hæc hortetur, inuitet, animet, is demum uere theologus est, etiam si fossor fuerit aut textor. Hæc si quis & ipsis præstet moribus, is deniq; magnus est doctor. Quæ ratione intelligant angeli, fortasse subtilius differat alius, uel nō Christianus, at illud persuadere, ut hic puri ab omnibus inquinamentis uitam exigamus angelicam, id demum Christiani theologi munus est. **Q**uod si quis obstrepet, hæc esse crassa, & idiotica, nihil aliud huic respōderim, nisi quod hæc crassa Christus præcipue docuit, hæc inculcāt apostoli, hæc quantūuis idiotica, tot germane Christianos, tot insignium martyrum examina nobis prodiderunt. Hæc inq̄ illiterata, ut ipsis uideatur, philosophia, summos orbis principes, tot regna, tot gentes, in suas pertraxit leges, id quod nulla Tyrannorum uis, nulla philosophorum poterat eruditio. Neq; uero repugno, quo minus sapientiam istam si uideatur loquantur inter perfectos. **A**t hoc certe nomine consoletur sese humile christiano rū uulgus, quod istas subtilitates, an sciuerint apostoli, uiderint alij, certe nō docuerunt. Hæc inq̄ plebeia, si præstarent pro sua sorte principes, si in contionibus inculcarent sacerdotes, si pueris instillarent ludimagistri/potius q̄ erudita illa, ex Aristotelis & Auerrois deprompta fontibus, nō sic perpetuis pene bellis tumultuaretur undiq; res Christiana, nō tā insano studio, per fas nefasq; congerēdi diuitias feruerēt omnia, nō tot litibus ubiq; perstreperēt sacra prophanaq; omnia. Deniq; non titulo tantum & cerimonijs differremus ab ijs qui Christi philosophiā non profitentur. **S**iquidem in his tribus hominum ordinibus, præcipue situm est, Christianæ religionis, uel instaurandæ, uel, augendæ negocium, in principibus, & qui horū gerunt uices magistratibus, in episcopis, & horū uicarijs, sacerdotibus, & in ijs qui primam illam ætatem ad omnia sequacem instituant. Quos si (omisso suo negotio) contingat ex animo conspirare in Christum, nimirū uideremus haud ita multis annis, uerum quoddam, ut & Paulus inquit *γνήσιον* Christianorum genus passim emergere, quod Christi philosophiam, non cerimonijs tantum, & propositionibus, sed ipso pectore, totaq; uita referret. His armis longe citius pellicerentur ad Christi fidem, Christiani uerois hostes, q̄ minis, aut armis. Vt omnia iūgamus præsidia, nihil ipsa ueritate  

potentius

Quis sibi uerū Theologus uideatur?

Contra q; hæc crassa & idiotica uidentur plebis respondet.

Quæ istas nūc Theologus subtilitates an sciuerint apostoli nō docuerunt.

In tribus hominū genibus præcipue sitū ē negotium instaurandæ Christianæ religionis et augendæ.

γνήσιον. i. legitimū.



potentius. Platonius non est qui Platonis libros non legerit; & theologus est, non modo Christianus qui Christi literas non legerit. Qui diligit inquit, me, sermones meos seruat. hanc ipse notam præscripsit. Proinde si uere ex animo sumus christiani, si uere credimus illum e cælo missum, ut ea nos doceret, quæ philosophorum sapientia non poterat, si uere expectamus ab eo, quod nulli principes, ceterum uis opulenti donare queunt, cur est nobis quicquid huius literis antiquius? Cur omnino quicquid uidetur eruditum, quod ab huius decretis dissidet? Cur in his adorandis literis, idem, ac pene dixerim plus, nobis permitimus, quæ in Cæsareis legibus, aut medicorum libris sibi permittunt interpretes phanici: ut pinde quasi in re ludicra uersetur, ita quicquid in buccâ uenerit, cõmentemur, detorqueamus, inuoluamus. & cœlestia dogmata, ceu Lydiam regulam, ad nostram pertrahimus uitam, & dum omnibus modis fugimus, ne parum multa scisse uideamur, quicquid usquæ est prophanarum literarum huc cõuehentes, id quod est in Christiana philosophia præcipuum, non dicam corumpimus, sed quod negari non potest, ad paucos homines contrahimus, rem qua Christus nihil uoluit esse communius. Hoc philosophiæ genus in affectibus situm uerius, quæ in syllogismis, uita magis est quæ disputatio, afflatus potius quæ eruditio, transformatio magis quæ ratio. Doctos esse, uix paucis contingit, at nulli non licet esse Christianum, nulli non licet esse pium, addam audacter illud nulli non licet esse theologum. Iam facile descendit in animos omnium, quod maxime secundum naturam est. Quid autem aliud est Christi philosophia, quam ipse renascentiam uocat, quæ instauratio bene conditæ naturæ? Proinde quicquid nemo tradidit hæc absolutius, nemo efficacius quæ Christus, tamen permulta reperire licet in ethnicorum libris, quæ cum huius doctrina cõsentiant. Nulla fuit unquam tam crassa factio philosophiæ, quæ docuerit pecuniam, hominem reddere felicem. Nulla tam impudens, quæ in uulgaribus istis honoribus aut uoluptatibus, finem boni constituerit. Viderunt Stoici neminem esse sapientem, nisi bonum uirum, uiderunt nihil esse uere bonum aut honestum, præter ueram uirtutem, nihil horrendum aut malum, præter unam turpitudinem. Iniuriam non esse pensandam iniuria, multis modis apud Platonem docet Socrates, item cum immortalis sit anima, non esse deplorandos qui cum fiducia bene actæ uitæ hinc demigrant, in uitam feliciorum. Præterea animam omnibus modis abducendam ab affectibus corporis, & ad ea traducendam, quæ uere sunt, cum non uideatur. Nullam rem nobis suaue esse posse, quæ non aliquo modo cõtemnatur, in politicis scripsit Aristoteles, una uirtute excepta, Nihil in uita homini suaue esse posse, nisi adsit animus nullius mali sibi conscius, unde ceu fonte scatet uera uoluptas, fatet & Epicurus. Quid quod magnam huius doctrinæ partem præstiterit non pauci, præcipue Socrates, Diogenes, & Epictetus? At eadem cum tanto plenius & docuerit & præstiterit Christus, an non prodigij simile, hæc a Christianis uel ignorari,

Q. uere ex animo non est  
christianus, qui christi literas  
noscitur.

Christi philosophia nihil debet  
esse commune.

Omnibus licet esse et christi-  
anu, et pium, et theo-  
logum.

Christi philosophia est instauratio  
bene conditæ naturæ.

Quicquid permulta reperitur  
in ethnicorum libris quæ  
leguntur, dogmata salu-  
tifera, in nemo habet  
tradidit plenius  
et absolutius  
ac efficacius  
Christus, quæ  
nemo habet  
tradidit.



ignorari uel negligi, uel etiam rideri? Si sunt quæ propius pertinent ad chri-  
 stianismum, his antiquatis, illa sequamur. sin hæc sola sunt, quæ uere christia-  
 num possint efficere, cur hæc propemodum magis pro obsoletis & abrogatis  
 habemus quæ libros Mosaicos? Primū aut est scire quid docuerit, proximū est p-  
 stare. Neq; enim ob id opinor, quis quæ sibi Christianus esse uideatur, si spinosa,  
 molestaq; uerborum perplexitate, de instantibus, de relationibus, de quiddita-  
 tibus ac formalitatibus disputet, sed si quod Christus docuit & exhibuit, id te-  
 neat exprimaturq;. Non quod horū studium damnem, qui in argutijs huiusmo-  
 di non sine laude, exercuerunt ingenij sui uires; nolim enim offendi quenq; sed  
 quod existimem, & uere, ni fallor, existimo; puram ac germanam illam Chri-  
 sti philosophiam, non aliunde felicius hauriri, quæ ex euangelicis libris; quæ ex apo-  
 stolicis literis; in quibus si quis pie philosophetur, orans magis quæ argumen-  
 tans, & transformari studēs potius quæ armari; is nimirū cōperiet nihil esse qd' ad  
 hominis felicitatem, nihil quod ad ullam huius uitæ functionem pertineat,  
 quod in his nō sit traditum, discussum, & absolutum. Siue quid discere cupimus  
 cur alius autor magis placet quæ ipse Christus? Siue uiuēdi formam requirimus  
 cur aliud nobis prius est exemplum, quæ Archetypus ipse Christus? Siue phar-  
 macum aliquod aduersus molestas animi cupiditates desyderamus, cur alibi  
 putamus remedium esse præsentius? Siue cupimus residem ac languescen-  
 tem animum expergefacerere lectione, quaeso ubi reperias igniculos æque uiuos  
 & efficaces? Siue uisum est animū ab huius uitæ molestijs auocare, cur aliæ ma-  
 gis placent delitiæ? Cur statim malumus ex hominum literis, Christi sapientiā  
 discere quæ ex ipso Christo? qui quod pollicitus est se semper nobiscū fore usq;  
 ad consummationē sæculi, in his literis præcipue præstat, in quibus nobis etiā-  
 num uiuit, spirat, loquitur, pene dixerim efficacius, quæ cum inter homines uersa  
 retur. Minus uidebant, minus audiebant Iudæi, quæ tu uides & audis in euange-  
 licis literis, tantum ut oculos & aures adferas, quibus illæ cerni & audiri possint.  
 Quid tandē hoc rei est? Literas ab amiculo scriptas, seruamus, exosculamur, cir-  
 cumferimus, iterum atq; iterum relegimus, & tot sunt milia Christianorū, qui  
 cū alioqui docti sint, euāgelicos & apostolicos libros, ne legerint quidem unquæ  
 in omni uita. Mahumetæi sua tenent dogmata. Iudæi & hodie ab ipsis cunabu-  
 lis suū ediscunt Mosen. Cur nos non idem præstamus Christo? Qui Benedicti  
 profitentur institutum, regulam ab homine, ~~scriptam~~ scriptam, tenent,  
 ediscunt, ibibunt. Qui Augustinianæ sunt factionis, autoris sui regulā callent.  
 Franciscani, Francisci sui traditiunculas adorant, amplectunt, & quoquo terra-  
 rum se cōtulerint, secū circūferunt, tutos se non credūt, nisi libellus adsit in sinu.  
 Cur illi plus tribuunt regulæ ab homine scriptæ, quæ uniuersi christiani suæ regu-  
 læ, quā omnibus tradidit Christus; quā oēs ex æquo pfecti sunt in baptismo?  
 Deniq; qua (ut sexcetas etiā addas) nulla possit esse sanctior? Atq; utinā fiat,  
 ut quem/

Non dānat studiu  
 uires suas & argutijs  
 et subtilitatib; &  
 ercentia lauda-  
 biliter.

Si oia que aliunde q-  
 rim; nobis euāgeli-  
 ca aptatq; lectis  
 o præstat.

Nota

Multis christianorū nu-  
 sū q; aliog docti in  
 oī tū uita sua ne  
 legerit qdē euā-  
 gelicos apsticos  
 libros: ~

Om̄ ordimū profes-  
 sores suorū aū horū  
 mire aplectūtur  
 et imbibūt regu-  
 laz; cui illi p-  
 tribuūt p-  
 am̄ ze-  
 o-  
 q-  
 a-  
 tractat.



ut quemadmodum Paulus scripsit, Mose legem nō fuisse gloriosam præ gloria  
 succedentis euangeliij, ita Christianis omnibus euangelia & apostolorum literæ  
 ita sanctæ habeantur, ut hæc præ illis non uideantur esse sanctæ. Quid Alber-  
 to magno, quid Alexandro, quid Thomæ, quid Aegidio, quid Ricardo, quid  
 Occam alij uelint tribuere, per me sane cuiq; liberum erit, nolim enim cuiusq;  
 imminuere gloriam, aut cū inueteratis iam hominum studijs demicare. Sint il-  
 la quantumuis erudita, quantumuis subtilia, quantumuis si uelint seraphica,  
 hæc tamen certissima fateant oportet. Paulus dijudicari uult spiritus propheta-  
 rum, num ex deo sint. Augustinus omnes omnium libros cum iudicio legens,  
 nihilo plus iuris postulat & suis. In his solis literis, & quod non assequor, tamen  
 adoro. Hunc autorem nobis non schola theologorum, sed ipse pater celestis,  
 diu inæ uocis testimonio cōprobauit, idq; bis, primum ad Iordanem in bap-  
 tismo, deinde in monte Thabor in transfiguratione. Hic inquit est filius meus di-  
 lectus in quo mihi complacitum est, ipsum audite. O solidā auctoritatem, uereq;  
 (ut isti uocant) irrefragabilem. Quid est ipsum audite? Nimirum hic unicus est  
 doctor, huius unius discipuli sitis. Attollat studijs suū quisq; quantum uolet  
 autorem, hoc, de uno citra exceptionem dictum est Christo. In hunc primum  
 descendit columba, paterni testimonij comprobatrix. Huius spiritum proxime  
 refert Petrus, cui summus ille pastor oues suas semel iterum ac tertio pascendas  
 commisit; pascendas autem haud dubium quin Christianæ doctrinæ pabulo.  
 Hic in Paulo ueluti renatus est, quem ipse uocauit organum electum, & insig-  
 nem sui nominis præconem. Ioānes quod e factos sancto illo pectoris fonte hau-  
 serat, id suis expressit literis. Quid quæso simile in Scoto (nolim id contumeliæ  
 causa dictum uideri) quid simile in Thoma? Quæq; illius ingenium admiror,  
 huius etiam ueneror sanctimoniam. Cur non in his tantis autoribus philoso-  
 phamur omnes? Quin hos sinu circumferimus, hos semper habemus in ma-  
 nibus, quin in his uenamur, scrutamur, disquirim<sup>9</sup> assidue? Cur maior uitæ por-  
 tio datur Auerroi, q̄ euangelijs? Cur tota pene ætas in hominum decretis, & in-  
 ter se pugnantibus opinionibus conteritur? **I**am uero sint illa sane, si libet, subli-  
 mium Theologorum. At in his certe sit futuri quondam magni theologi tyro-  
 cinium. Quotquot in baptismo iurauimus in uerba Christi, si tamen ex ani-  
 mo iurauimus, mox inter ipsos parentū cōplexus, & nutricū blandicias Christi  
 dogmatis imbuamur. **N**ā & altissime insidet, & tenacissime hæret, quod primū  
 rudis illa animi testula cōbiberit. Christū prima sonet balbuties, ex hui<sup>9</sup> euange-  
 lijs prima formetur infātia, quæ ita cū primis tradi cupiā, ut & a pueris amet. In  
 his deinde uersent studijs, donec tacitis auctibus adolescāt in uirum robustū  
 in Christo. Aliorū literæ sūt eiusmodi, ut nō parū multos pœniterit insūptæ in  
 illis operæ ac sapenūmero fit, ut qui per omnē uitā, p tuēdis illarū decretis ad  
 mortē usq; depugnarūt, i ipā morte, ab autoris sui factione desciscāt. At felix ille  
 quem in

Qm scy ar glose haberi  
 dnt euagelios apthroy  
 lxxi compator ad  
 legem Moysi

Nim autore thom p  
 celestis testimonio  
 probauit nob

De s. petro, paulo, et  
 ioane, i suis lris.

De Scoto.  
 De s. Thoma.

De Auerrois.

De pueri ab infantia  
 euagelios doctrinis  
 imbuantur.

S.



quæ in hisce literis meditâre mors occupat. **H**as igitur toto pectore sitiamus omnes, has amplectamur, in his iugiter uersamur, has exosculemur, his demum imoriamur, in has transformemur, quandoquidem abeunt studia in mores. Qui consequi non potest (quis autem id non potest, si modo uelit) is saltem adoret, hasce literas, ceu thecam illius diuini pectoris. Si quis ostendat Christi pedibus impressum uestigium, quæ procumbimus christiani, quæ adoramus? At cur non potius uiuam illius & spirantem imaginem in hisce ueneramur libris? Si quis Christi tunicam exhibeat, quo non terrarum prouolaturi simus, ut eam osculari liceat? Atqui ut totam illius suppellectilem proferas, nihil erit, quod Christum expressius ac uerius representet, quæ euangelicæ literæ. Ligneam aut saxeam statuam, amore Christi, gemmis auroque decoramus. Quin hæc potius auro gemmisque, & si quid his preciosius, insigniuntur, quæ tanto presentius Christum nobis referunt, quæ illa imaguncula. Siquidem illa, quid aliud quæ corporis figuram exprimit? si tamen illius quicquid exprimit, at hæc tibi sacrosanctæ mentis illius uiuam referunt imaginem, ipsumque Christum loquentem, sanantem, morientem, resurgentem, denique totum ita presentem reddunt, ut minus uisurus sis, si coram oculis conspicias.

PARACLESEOS FINIS.



ERASMI ROTERODAMI METHODVS.

**A**T dicit mihi fortasse lector aliquis. Quid tu ita iamdudum currentem (ut dici solet) incitas? Quin uiam magis & rationem indica, qua cuiuis liceat, ceu compendio ad istam tantopere laudatam philosophiam peruenire. Quandoquidem non minima negocij pars est, ad eundem negocij uiam nosse. Quamquam id sane, primum non unius uoluminis opus esse sciam, deinde ne meum quidem; tamen quando qui ipsi nauigarunt infeliciter, nihilo secus alijs soluētibus solent recte consulere comonstratis piculis; hos nimirum imitabor; aut certe Mercuriales illas statuas, quæ in compitis positæ, suo nonnunquam indicio uiatorem eo prouehunt, quo nunquam ipsæ sint peruenturæ, & ut nonnihil ex poetis attingam, fungar uice cotis, acutum. Reddere quæ ferarum ualet, exors ipsa secandi. **T**ametsi diuus Aurelius Augustinus accurate simul & copiose quatuor libris, quibus titulum fecit de doctrina christiana, super hac re differuit, quo magis idem agemus, non solum quæ fieri potest breuissime, uerum etiam crassius & pinguiore, quod aiunt, Minerua, quippe qui non excellentibus uiris ista paramus, sed plebeis & inferioris uenæ ingenijs, nostra qualicumque industria, nitimur subuenire. **I**taque quod primo statim loco præcipiendum

bbb erat

Epilogus.

Methodus a compendio, breuis uia, disciplina.

Docet quod compendio ad hanc christi philosophiam perueniat.

Augustinus de doctrina christiana.

Pro plebeis hæc scripsit.